





Pri. 25. num. 21.

1776, 2
3

70

PROGRAMMA
IOANNIS GOTTLIEB DE HACKEMAN D.

COD. IVSTIN. PROFESSORIS PVBL. ORD. ORDINIS ICTORVM
SENIORIS AC H. T. DECANI

QVO

DE INIVSTITIA
SENATVSCONSVLTI VELLEIANI
SVMMATIM DISSERTIVR

DISSERTATIONI INAVGVRALI

GENEROSISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
VTRIVSQVE IVRIS CANDIDATI

CHRISTIANI ALEXANDRI VIVIGENZ
A WINTERFELD

EQVITIS VCARO MARCHICI

IN MENKIN, KYZEROW ET CVETERBERG

PRAEMISSVM.

P. 299.



TRAIECTI CIS VIADRYM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI:



IR
o-
fo-
ifti.
nfi-
op-
an-
ru-
um,
nda
E,
uli,
oro
fe-



1822. 2. 11. 11

PROGRAMMA

IOHANNIS GOTTLIEB DE HACKEMAN D.

OP. THEOL. PROFESSORIS PUBL. ORD. CATHOLICAE LITURGICAE

SENIORIS AC H. T. DECANI

QVO

DE I N I V E R S I T A T I A

SENATUSCONSULTI VELLEIANI

SUMMATIM DISSENTIENS

DISSERTATIONI IN A U G U S T I N I

GENERICAE ATQUE DOCTRINAE

ATRIQUE IURIS CANDIDATI

CHRISTIANI ALEXANDRI VIVIGENS

A W I N T E R F E L D

HOVIS VCARO MARCHICI


IN MEXICO, KATZHOV ET CATHARBERG

P R A E M I S S I V M



TRIECTI CIVI R A D I C I M

IOHANNIS CHRISTIANI WINTERFELDI





Lectio SCi Vell. varians.

L. 2. §. 1. D. ad SC. Vell.



Celebratissimi SENATVS CONSVLTI VELLEIANI lectio communis ea est, quae in exemplari habetur Florentino omnibusque inserta subinde Corporis iuris civilis editionibus. MAVRITIVS *de libr. iur. posit.* IX. Lectionem vero diuersam ab hac et curatiorem magis, exque ea variantes adfert explicationes *III. Ger. NOODT* l. 18. *observat.* Adiicimus nos scopo nostro quae inseruire videntur, reliquis omissis, breuiore huc spectantes adnotationes. Variat nimirum in aliis iurium libris SCi lectio, dum in memorata modo L. 2. §. 1. pro his verbis: *quid de ea re fieri oportet, de ea ita consuluerunt, exstat:*

A 2

quid

quid de ea fieri oporteret. Non male, inquit V. C. NOODT, quamquam et seruari potest Florentina lectio, si ita scribatur: quid de ea re fieri oportet. Et, et exponatur, oporteret, repetitis maiusculis literis, quod curiose obseruauit Iac. GOTHOFREDVS. Porro, loco verbi: *confulerunt*, legitur, *consuerunt*. Quod verbum sollemne fuit SCtorum. Verba: *PRO aliis quibus intercesserint feminae*, reiectis aliorum opinionibus, NOODTIVS ita explicat, quod *Senatus voluit subuenire mulieribus, quae pro aliis intercedunt: siue iubeant, fide sua esse, quod alius debet: siue non hoc agant, sed aliis mutuam dent pecuniam, quam ipsae idcirco mutuam acceperint, ut aliis mutuam darent*. Vnde verba SCi vir modo laudatus ita transponit, vt legendum sit: *Quod ad fideiussiones et mutui dationes, quibus pro aliis intercesserint feminae, pertinet*. Haec verba, vt putat NOODTIVS, *Senatum ponere pro exemplis intercessionis, caeterum ipsam feminis intercessionem pro aliis prohibere*. Vnde veteres SCum hoc non de feminarum fideiussionibus et mutui dationibus pro aliis, sed de intercessionibus adpellarunt. L. 29. D. et L. 19. C. ad SC. Vell. L. 40. D. de condit. ind. Conf. Ant. AVGVSTINVS de nomin. propr. Tom. I. p. 330. et Io. STECKIVS vind. lect. antic. p. 518. Thes. Otton. Tandem SCi huius verba humaniores sollicitate ponderant iuris interpretes siue ad formulas, omnium SCorum tralaticias, siue SCo Vell. proprias adtendimus; quorum vero vt longius inhaereamus emendationibus instituti nostri ratio prohibet. Complura alia addenda critica, ingeniosa aequae ac vtilia legere licet apud Io. Guil. HOFFMAN in meletemat. ad lib. XVI. Pand. §. 4.

Sena-

Senatusconsulti Vell. aetas.

Quod ad aetatem SCi Vell. adinet, de eo longa quoque lis fuit eritque posthaec inter antiquitatum eruspatores, cuiusnam videlicet sub imperatoris imperio memoratum saepius SCum prodierit, aliis illud ad AVGVSTI, aliis rursus ad CLAVDII, imperatorum, tempora referentibus. Neque pari ratione de consulibus, quorum sub auspiciis SCum hoc publici iuris factum sit, adeo convenit. Quidam enim M. Silano et Velleio Tutori, alii autem L. Silano Flam. Mart et C. Vellaeo Tutori Coss. acceptum referunt. Quam posteriorem sententiam nouissime amplexus est Io. Gottl. HEINECCIUS in *elem. pand.*, nec non in *Histor. iur.*, quando scilicet AVGVSTI temporibus, anno V. C. DCCLXIII. GRVTERI innixus inscriptionibus, SCum hoc accenset. Communis ex aduerso sententiae est, priores a nobis dictos consules CLAVDIO imperante anno V. C. DCCXCI. floruisse, eodemque aevo conditum fuisse hocce SCum. Res ipsa post multam multorum disputationem propter voculam: *postea*, in textu adhibitam, dubia remanebit.

Summa SCi.

Summam SCi Vell. ipsam PAVLLVS in L. I. pr. ad SC. Vell. in eo comprehendit, quando: *ne pro ullo feminae intercederent*, cautum esse, scribit. Feminae autem pro aliis *intercedere* dicuntur, quum se pro aliis reas faciunt. Siue, quo-



modo interpretatur VLPIANVS in L. 2. §. 4. d. l. *omnis omnino obligatio SCi Vell. comprehenditur: siue verbis, siue re, siue quocunque alio contractu feminae intercesserint.* Intercedit vero mulier vel circa *veterem* obligationem vel circa *nouam*. *Illud fit dupliciter* vel per participationem *adcumulatiue*, debitore, pro quo intercedit, manente obligato, adeo, vt, si pro eo fideiubeat, eius debitum aut constituat, aut mandat, aut compromittat, aut pignus obliget; vel deinde mulieris accedit intercessio, vt dicunt, *translatiue*, priuatiue ac per exemptionem seu nouationem etiam fictam, si iudicium pro alio suscipiat. *Nouam* vero mulier in se obligationem suscipit, quando se ab initio pro alio constituit. BRVNN. *ad cit.* L. 2., nec non HAHN *ad W. h. t.* Sed, etsi mulier *defensor* alicuius extiterit, procul dubio intercedit; suscipit enim obligationem alienam. L. 2. §. 5. *ad SC. Vell.* Vt vero genuina SCi nostri ratio, quibusque ex causis Romani ad illud condendum moti esse videntur, liquido cuius pateat, ad veros antiquitatum Romanarum fontes paulisper abeamus.

Lex Rom. circa mulierum disciplinam triplex.

Primis iam Romanae reipublicae temporibus pro aliis *intercessionem* feminis fuisse interdictam, ex iis, quae THOMASIVS *Diff. de exig. vsu SC. Vell.*, nec non de Ludewig *Diff. de Diff. iur. Rom. et Germ. in SC. Vell. pag. 5.* adferunt, admodum probabile est. Non leges enim prohibitiuas tantum

ad

aduersus operas feminarum PLVTARCHO *quaest. Rom.* p. 284. et *Alex.* ab ALEXAND. IV. 8 *gen. dier.* testibus, latas fuisse inuenimus, sed iam NUMAM A. V. C. XL. legibus, ab ipso publicatis, feminas Italicas magna verecundia sephisse, idem refert PLVTARCHVS in *Numa* p. 77. *Accessit* quingentis annis post, A. V. C. DXXXVIII. lex OPIA durior longe et acrior, lata a C. OPIO, tribuno plebis, Q. Fabio et T. Sempronio *Coss.* In hac lege mulieri interdicebatur, ne plus semuncia auri haberet, neu veste versicolori vteretur, neu iuncto vehiculo in urbe vel oppido veheretur, *vid. Ant. AVGVSTIN* II, 8. *emend.* Eleganter pro hac lege, quae postmodum abrogabatur, differentem M. Porcium Catonem producit de LVDEWIG p. 12. d. I. adposita illius ratione. Ex instituto autem legis Oppiae historiam dedit Io. Guil. HOFFMAN *Diff. sing.* Tandem seuerior ille mos antiquus et prisca in mulieres disciplina, quae post legis Oppiae abrogationem paulatim tantum non oblitterata erat, SCOPOLL. ferme restituta et ad pristinum vigorem reducta est.

Disciplinae huius rationes.

Quibus per compendium praemissis, duplex exurgit quaestio: quas nimirum ob causas ad SC. hocce ferendum permoti fuerint Romani? Tumque postea: an SC. illud legibus prohibitiuis sit adnumerandum? Quod primum itaque concernit momentum, suspicionem illiciti amoris virorumque Romanorum zelotypiam absque dubio primarum dictarum legum, quin vnicam fuisse causam, vt scilicet illorum mulieres dome-

me-

mesticis rebus magis intentae consortio aliorum non inmi-
 scerentur, postea, ut amori erga viros suos vnice studerent,
 partim denique, ne fines modestiae nimia forsitan humanita-
 te sua erga alios transilirent, admodum est credibile. Adii-
 ciamus etiam huic, si placet, rationi virorum Romanorum
 factum, quo dignas haud iudicabant feminas, ut *virilibus* in-
 teressent officiis. Hinc vxores suas sub nota censoria custo-
 diebant, eaque eas notabant, ne per edoctam exterius et
 magis inflatam scilicet muliebrem astutiam aut curiositatem
 naturalis illa virorum quasi contaminaretur praerogatiua.

SCum Vell. fuit lex prohibitiua.

Patefcit clarissime ex iam iam dictis, quidnam illis
 respondendum sit, qui, an SCum Vell. lex inter Roma-
 nos fuerit *prohibitiua*, vel legis *beneficium*, mouent quaestio-
 nem? Improbauit Romanorum senatus atque inhiuit, re-
 nouata scilicet antiqua lege, omnem feminarum *intercessionem*,
 tum ad confirmandam earum, quam transgressae erant,
 morum disciplinam, tum vero, ut mulieres a *virilibus*, qui-
 bus minime, vero, ut falso quidam arbitrantur, Romani sub-
 intelligebant *ciuilia*, quomodo erudite obseruat Iac. GOTHÖ-
 FREDVS ad L. 2 D. de R. l., officii excluderentur. Inter *pu-
 blica* autem referebantur officia, quae auctoritate quadam ab-
 soluebantur, utputa iudices esse, magistratum gerere, L. 214.
de V. S. Ciuilibus accensebantur officiis, quae in iudiciis
 acque ac aliis virorum conuentibus gerebantur, ut pro aliis in-

interuenire, procurator existere. *Intercedere* e contrario nec ad publicum nec ciuile quoddam spectabat officium. Certe, *intercessio* á ICro in L. 1. § 1. *ad SC. Vell.* non ad *ciuitia* refertur officia, bene autem ad *virilia*, licet et haec ficta sint et minus vera. *vid. L. pen. D. de edend.*, ubi CALLISTRATVS ait: *feminae remotae videntur ab operavirili*, cui quoque ICro VLPIANVS in L. 3 § 3. *D. de munerib.* adstipulatur, nec non PAVLLVS L. 12. § 2. *D. de iudic.* Subministratur alia quidem ex acri et subtili iudicio deprompta prima fronte ratio in ipso SCo Vell. apud VLPIANVM, qua SCi defenditur fundamentum L. 2. § 1. et 5. *ad SC. Vell.*, ubi verba ita fluunt; *feminas virilibus officiis fungi et eius generis obligationibus obstringi, non esse aequum.* At vero, quis non uidet fictam et hic ICTorum, quibus fingere consuetudinis erat, causam? Rem ipsam diuinasse videntur, statuentes, sub vocabulo: *infirmitas*, non iudicii tantum, sed morum quoque *imbecillitatem* Romanos comprehendi voluisse, quippe quam in vxoribus suis ex nimia erga illas diffidentia notare studebant. Neque est, cur quis obiiciat leges postea latas, v. c. notatu dignam L. 12. *C qui potior. in pign.* IUSTINIANVS enim veterum insistentes vestigiis, praeterquam quae addebat tanquam vir vxorius adprobauit omnia, quae in feminarum fauorem vllibi in iure legebantur, vel potius introducta fingebantur, vera ratione atque genuina plane dissimulata. Siue, Imperator ille, acceptis plusculum sibi femellis, quae in illarum odium antiquitus erant constituta, in earundem posthaec fauorem detorsit,

B

torfit,

torfit, licet Imperatoris sui propugnator acerrimus *de LV-DEWIG in vit. Iustin.* p. 139. excusationum formulas conqui-
suerit quam honorificentissimas.

*Iniustitia SCi Vell. probatur
tum ex sana ratione,*

Tandem, nostri, quae hoc loco imprimis est
instituti, sese offert quaestio: *an scilicet memoratum fae-
pius SCum Vell. iustum sit atque aequum? Iustitiam illius ae-
aequitatem* Vir caeteroquin eruditissimus b. *Ern. Imm. TEN-
ZELL Diff. de vidua def. marit. deb. suscip.* §. VII., *Erford.* 1728.
habita, vt silentio iam praetereamus cum illo consentientes,
vtputa *Aug. LEYSERVM med. ad Pand. Spec.* 169., caeteros,
magni nominis Viros, litem velut refuscitando, defendere
tentavit, quando vel exinde interdictam mulieribus Roma-
nis existimat *fideiussionem*, quod *intercessionem* praec aliis contra-
ctibus maxime difficultatibus damnisque quam plurimis la-
borarent. Liceat iam nunc illustri TENZELII in medium
producta carptim examinare argumenta. Exceptis reliquis
contractibus, *solam* feminis apud Romanos prohibitam fuisse
intercedendi pro aliis facultatem, legimus. Cur non sexui
quoque sequiori, vt a caeteris contractuum speciebus absti-
neret, simili modo fuerit prohibitum, cum laudato iam
TENZELIO merito quaeretur? Qua quaestione discuf-
sa, omnis certe remouebitur scrupulus. Romanis, quare in-

recedendi potestate feminas priuarent, iusta nulla fuit ratio. Minus certe est in fideiuffione, quam in reliquis, quae celebrantur, negotiis periculum. Perpendamus emtionem et venditionem; abeamus ad locationem et societatem, cum aliis ineundam; consideremus, quid consilii capiendum sit, si rem mutuo damus, commodamus; quos contractus tamen omnes feminae cum aliis sine vlla restrictione celebrabant, quomodo complures et famosissimae leges Romanorum fuisse prohibent. Neque obiiciat quis cum memorato TENZELIO Sacrarum adeo paginarum a fideiuffionibus abstinendi cohortationem, siquidem illae sine vlla sexus adposita differentia generale subministrant consilium de non ineunda, quae alias implenda sit, fideiuffione. Nec item obuertat alius, feminas ad fideiuffiones, tanquam non praesentissimum statim periculum, masculino citius persuaderi blanditiis et spe forsan futuri lucri adliciendas fore. Nullam enim hanc esse objectionem iis pernotum est, qui, quanta calliditas et cauta auaritia penes mulieres resideat, experti sunt, vt, feminas pauciores a maribus defraudari, horum vero plures a femellis circumueniri indubium potius defendatur. Indolem feminarum aliqua ex parte habes in L. 16. C. de donat. ant. nups., quae moris feminei aptitudo et capacitas maximum foeneratur lumen illuminatis saeculi politioris nostri mulierculis tantum non omnibus. Haud adspernenda itaque adnotatio est Ill. de LVDEWIG Diss. II. de differ. in SC. Vell., quando illud ideo contra aequitatem esse constitutum defendit, quoniam

cupia

B2

niam

niam femina semper ansam adriperet ad tricas et tenebras
 sua negotia vertendi in aliena, aut simulandi aliena in suis, si
 haec male cesserint. Hinc semper contractus omnis cum fe-
 mina debilis erit et formidolosus. Quis, quaeso, effugerit
 retia in mandatis, in societate, in contractibus aliis? Nec
 est, cur Romanus a non nemine senatus defendatur ex ra-
 tione quadam, quae eum ad SC. hoc constituendum mo-
 uerit, *politica*. Aderant plura alia, quibus effruescens for-
 san feminarum licentia restringi poterat, eaque commodio-
 ra magis media, ut inanibus, quae olim adhibebantur, ficti-
 onibus plane hic opus non esse videretur. Nec porro vel ex
naturali aequitatis ratione *intercessio* vnice viris, mulieribus
 exclusis, erit adscribenda. Quod si enim ad prima iuris Na-
 turae principia abimus, hominem quemuis natura liberum
 et ab omni imperio alienum sui iuris creauit, neminique
 praerogatiuam concessit. Gaudet aequae mas ac femina ae-
 quali sensuum usu. Et sic fictitia senatus Romani ratio sta-
 tim cadit, feminarum praetendentis *infirmiorem*, ita qui-
 dem, ut nec cum *Grotio* et b. BOEHMERO *Diff. de effie. mulier.*
intercess. Cap. I. §. I. nat. 6. ea distinctione, quam pro-
 bat TENZELIUS, indigeamus, qua inter ius Naturae pro
lege et inter ius naturae pro *adtributo* personae solum di-
 stinguitur. Neque vlla nititur veritate, *intercessionem* officia
 ad *virilia* pertinere, quomodo Romanorum senatus sexui
 muliebri ac posteritati persuadere conatus est, id quod recte
 etiam obseruat modo memoratus BOEHMER c. 2. §. 16. De-
 nique,

nique, nec illud admittendum, quando pro coloranda SCI
 Vell. *aequitate* statuitur, leges civiles posse *intercessionem* mu-
 lieris, naturali ratione stringentem, reddere nullam, natu-
 ralem vero aequitatem non praecipere vt eiusmodi lex con-
 datur. Constat enim, quae obseruatio est b. GERDES p. II.
Disp. de differ. inr. SC. Vell. et Auth. Si qua mul., ex doctrina de
 pactis, legem *Naturae* iubere, vt promissa sine discrimine
 fexus seruentur, idque simplicitate iuris Naturae ita dicti-
 tante. Sic firmissimo quoque nituntur fundamento, quae
 habet Cypr. REGNERVS *Disp. XXV. ad SC. Vell.*, *quilibet*,
 inquit, *homo iudicio praeditus, tenetur ex conuentione sua, serio*
inita. Haec regula aeterni iuris est, et summa cum violatione boni
publici violatur, nisi contraria reip. utilitas efficacior dissuadeat,
quae hic pro SCO Vell. non datur.

*tum corroboratur virorum illustrium
 adplausu.*

Quanta itaque *iustitia* quantaque *aequitate* Velleianum
 nitatur SCum carptim breuiterque indicasse sufficiat. Nec
 hic valebit quidquam utilis alias apud VLPIANVM distinctio
 in L. I. ff. D. *Siquis test. lib.*, vbi inter *naturalem* et *ciuilem* diffe-
 rentia ponitur aequitatem. Nam in contractibus, vbi o-
 bligatio naturalis iuris inducitur, non potest ius naturale a
 ciuili quodam abrogari, nec lex civilis irritum facere con-
 tractum, sicuti eleganter notat AMESIUS *lib. V. cons. cap. 45.*

n. 5. Vnde non in super habendum est LESCHASSERII *Tract. de SC. Vell. renunciat. circ. fin. de SCo* hocce iudicium, ita sermocinantis: *Que le Velleian tel qu'il est reçu avec la liberté d'y renoncier, est une mauuaise herbe, qui merite d'être arrache du camp de la iustice.* Alii quoque cum BACHOVO ad tit. de SC. Vell. arbitrantur, beneficium hoc prorsus esse iniquum et ita comparatum, vt mulier christiana salua conscientia eodem vti nequeat. Consentientem hic legere licet supra laudatum THOMASIVM §. 34., vsum videlicet SCo huius plurimum esse iniquum et irrationalem. Quam ob rem, quando b. de LVDEWIG d. l., maiorem hodie esse feminarum nostrarum libertatem, qua plurimis, quae officii *uirilis* Romani reputarunt, praesse possint, adfirmat, illius adfertio, in genere considerata, aliorum non merebitur censuram. Auctor enim ille ita capiendus est, quod scilicet SCum Vell. ad mores feminarum Germanicarum ideo non quadret, quia harum vitae genus, mores ac consuetudines non tam rigorosae subfuerint censurae ac Romanarum mulierum.

SCo Vell., vt legis beneficio, peruersa ratione renunciat.

Et sic longa illa etiam DD. disputatio: *vtum memoratum plus vice simplici SCum Vell. fit lex prohibitiua,*

an

an vero *beneficium*? per antea dicta vltiore non indiget disquisitione. Quodsi enim ad *Romanos*, tunc *prius*, si vero ad *Germanos* et vsum fori hodiernum respicimus, *posterius* recte adfirmabitur. Qua iuris vtriusque obseruata distinctione, facilis quoque erit ad quaestionem hodiernum inter ICtos controuersam, *negatiuam* aliis cum THOMASIO §. 18. d. l., aliis *adfirmatiuam* defendentibus: an nimirum mulier SCo Vell. *renunciare* possit? responsio. *Adfirmantium* quidem rationes communem meruisse adplausum, inuenimus. In *adfirmatiua* tamen hac sententia plurimi pragmaticorum egregie falluntur, quando propterea SCo illius *renunciationem* concedunt, quod quilibet fauori pro se introducto *renunciare* possit. Nec minus, qui cum *cit.* THOMASIO §. 27. partes *negantium* tuentur, in dissentientium refutatione curate satis procedunt. Nam respiciendum hic est *ad primam* SCo originem, a *prohibitua* Romanorum lege deducendam, cuius primaeuam introductionem praxis Germaniae, morem *Iustianiano* gerens, multis in locis pro mulierum *beneficio* perperam interpretata est. Et hac ex ratione vir summus NOODT *ad D. h. t.* communi fere huic DD. opinioni roboris plena adiicit verba: *Noli accedere illi sententiae, quamuis saeculi moribus receptae.*

Verum

Verum enim vero hisce diutius non immoror
 ad
 Generosissimum ac Doctissimum
 in iure utroque
 CANDIDATVM,
 CHRISTIANVM ALEXANDRVM VIVIGENZ
 A WINTERFELD,
 qui anam haec praefandi dedit, me conuerto.

ILLE ipse vitae suae rationem conceptissimis ver-
 bis indicare voluit:

*Ego Christianus Alexander Vivigenz a Winterfeld natale
 solum agnosco Vcaromarchiam, in qua Menckini prope Primis-
 lauiam A. O. R. MDCCLIV. die XVII. Iulii primam lucem
 adspexi. Pater mihi a Numine oblati fuit Sigismundus Dett-
 les a Winterfeld, Eques in Menckin, Kuzerow et Güterberg,
 qui, postquam ad Capitanei gradum, ut vulgo vocant, in militia
 ascenderat, relictis signis, costris rure permutatis, vitam qui-
 tam degit, meque inter XVIII. liberos ex Ludouica Sophia, ex
 auitissima Arnimiorum gente oriunda, progeniit. Optimi pa-
 rentes in me educando nulli curae pepererunt, statimque ex in-
 fantia egressum praceptoribus domesticis instruendum tradide-
 runt. Vix vero decem annos natum tristem sortem iam experi-
 ri oportuit, qua mihi pater amantissimus e viuis abhinc vocatus
 praematura morte ereptus est. Desit tamen in me persequendo
 persilere fortuna. Dilectissimam mihi matrem seruauit, quam-
 que ut sospitem diutissime venerari possim D. O. M. quotidie
 precor. Nouus mihi etiam pater redditus est in Viro Genero-
 sissimo Ioachimo Friderico Ernesto a Winterfeld, Haereditario
 in Neuensfeld, patriuae aeternum deuenerando, cui, prouti tum
 mei*

mei ipsius, tum rei familiaris curam in se suscipere non dedi-
 gnatus est, tanta debeo, quanta plurima. Curavit is, ut Ao.
 MDCCLXVII. Berolinum peruenirem, ibique priuatis in-
 structionibus in iis rebus erudirer, quae ad litteras humaniores
 spectant, viamque ad altiora parant. Non tamen ita ab omni-
 bus institutis publicis abhorruui, ut ne illa perstruere tentauerim.
 Per semestris enim spatium in Gymnasio Vallis Ioachimicae com-
 moratus sum, ibique, quantum licuit, instructionibus Stoschii,
 Schulzii, Wesenfeldii, Mylleri atque Rouyeri usus sum. Nec
 facile inde ad priuata studia reuersus fuisset, nisi quaedam,
 quae in meum tempus cadebant, immutationes ad id faciendum
 me commouissent. Per anni spatium adhuc tali modo mansue-
 tioribus Musis adsuefactus in hanc Academiam me contuli et a
 S. R. Causséo, fascis academicae tunc temporis tenente, die VII.
 Octobris MDCCLXXI. in ciuium numerum relatus sum. Hic
 primum Virum Perill. de Boehmer, duce Heineccio, prima le-
 gitimae scientiae elementa interpretantem audiui. Praemature
 fato hoc extincto, Scholas Philosophorum interim adii, et in
 vniuersa Philosophia tum theoretica tum practica simulque iure
 naturali doctore usus sum S. R. Toellnero, qui iamnum inter
 coelites connumeratur, cuius etiam conuictu per biennium, et
 quod super est, frui mihi licuit. In Historia Exc. Hausenii,
 in Mathesi Curtii et Ill. Dariesii praelectionibus interfui; pie-
 tam defunctum Zobelium, litterarum elegantiorum theoriam ex-
 plicantem, audiui. Quo facto, cum Ill. Georgius Samuel Madihn
 hanc in Academiam vocatus Scholas iuridicas aperiret, eius prae-
 lectionibus interesse coepi, eique in iurisprudencia plurima, nisi
 omnia debere confiteor. Exaudiui eum semel atque iterum, in-
 ingentem Pandectarum molem praelectiones institutum, ab eo-
 que principia iuris Canonici et Ecclesiastici quoque percepi. Usus
 sum

sum eodem duce in addiscendis ceteris iuribus, Germanico, Criminali, Feodali, Publico et denique Naturali, Historiamque iuris literariam cum doctrina Actionum forensium ex eius ore hausi. Multa desuper debeo Ill. Ludouico Godofredo Madihn, quem in Institutionibus, Historiaque iuris Romani praeceptorem colo, Pandectasque explicantem audiui. Idem mihi facem praetulit in iurisprudentiae iudiciariae forma tradenda, quam vulgo Processum adpellant. Omnium horum Virorum in me merita prout grata mente agnosco, ita semper depraedicabo.

Disciplinis eiusmodi commendabilibus probe imbutus WINTERFELDIUS noster ab illustri Ictorum ordine petiit, vt ad summos in iure vtroque honores, more maiorum solito capeffendos, admitteretur.

Siccine, id quod profecto veritate nititur: *Veragloria*, vel iudice CICERONE, *radices agit et propagatur, sic et omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum?* Praedicantur, quod vsu venire solet, maiores haud raro virtute et factis illustres, qui famam meritorum ad posteros vsque propagarunt, qua veluti superbientes filii nepotesque, et vltra, inane quid exinde ac nil nisi magni nominis sonum sibi retinent; admodum rarenter ex aduerso posteri acceptam a maioribus gloriam ipsimet deplantant, virtutem maiorum simulant, simulando autem instar flosculi decidunt, illorumque simulatio neququam est diuturna. Hi vero demum veram in se maiorum propagari gloriam passi sunt, eademque radices tum egisse dicenda

da

da est, quum posterius et maiorum suorum et sua simul gloria
nisi monumenta virtutis, aere perenniora ponunt, ideo-
que vere dicti generosi. Generosum enim est, quod a ge-
nere non desciscit.

Insidias auribus uisuique hæcce vel legentium vel audi-
tu percipientium faciendas, ut nefas est, ita publica cum
fide, quam testimonio hocce probamus, omnino pugna-
ret eandemque merito infringeret. Veritatem profitenti
cuius viro honesto credendum est, nedum Ordini Ictorum
publico adulandi obiiere libidinem fas erit. Non ex lon-
ginoquo autem vel in resuscitandis veluti generosi WINTER-
FELDII maiorum imaginibus, cuiuslibet pernotis, laudandi
causæ accersendæ sunt; nec PARENTVM merita, supra
laudem posita, iam summis efferre laudibus animus est. Vir-
tus ornatissimi WINTERFELDII sua ipsius est, quam gene-
roso sanguine natus a PARENTIBVS instillatam excoluit ex-
cultamque magis magisque confirmavit. Cum primis vero
propria veluti ILLIVS genti ac NOSTRO quasi connata ani-
mi moderatio suauitasque oris permultos intantum sibi de-
uinxit, ut amicabili EIVS frui consortione haud exiguae fe-
licitatis sibi duxerint. In arenam, ubi tela dissentientium
publice vibrantur, disputatoriam plus vice simplici tanta
WINTERFELDIVS descendit animi alacritate, ut genus di-
cendi aequè nitidum ac argumentorum obmotorum solidi-
tas auditores nunquam non oblectarent. Duo etiam exquisi-
tae eruditionis suæ specimina in sollempnibus cum EO insti-
tutis

tutis examinibus communi adplausu edidit. Vltimum tantummodo restat, quo Dissertationem suam inauguralem, nimirum

Historiam iuris ciuiliſ Romani

De Donationibus propter nuptias

futuro die Nouembris sine Praefide propugnabit. Quam quidem sollempnitatem vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PATRES CONSCRIPTI, nec non HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, maxime vero GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI DOMINI COMMILITONES praesentia sua honorifica splendidiorem reddere velint, meo ac Ordinis mei nomine ea, qua par est obseruantia, rogo. P.P.d. Nouembris,

MDCCLXXVI.



Frankfurt a. O., Diss., 1776-77

ULB Halle

007 520 611


3



W18







B.I.G.

Farbkarte #13

PROGRAMMA

IOANNIS GOTTLIEB DE HACKEMAN D.

COD. IVSTIN. PROFESSORIS PVBL. ORD. ORDINIS ICTORVM
SENIORIS AC H. T. DECANI

QVO

DE INIVSTITIA
SENATVSCONSVLTI VELLEIANI

SVMMATIM DISSERITVR

DISSERTATIONI INAVGVRALI

GENEROSISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
VTRIVSQVE IVRIS CANDIDATI

CHRISTIANI ALEXANDRI VIVIGENZ
A WINTERFELD

EQVITIS VCARO MARCHICI
IN MENKIN, KVZEROW ET GVETERBERG

PRAEMISSVM.



TRAIECTI CIS VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.



Pri. 25. num. 21.

1776, 2

3

P. 299.

